Quelle: http://manuscripta.at/?ID=445
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



293

BREVIS.

tus est. Amplius adhuc manifestum est. Si secundum similitudinem melchisedech exsurgeret alius sacerdos qui non secundum legem mandati carnalis fuisset. sed secundum virtutem vite insolubilis. Contestatur enim quia tu es sacerdos in eternum secundum ordinem melchisedech. Reprobatio quidem fit precedentis mandati propter infirmitatem eius. et inutilitatem. Nichil enim ad perfectum adduxit lex. Introductio vero melioris spei per quam proximamus ad deum. Et quantum est non sine iuramento. Alii quidem sine iuramento sacerdotes fuerunt. Hic autem cum iuramento per eum qui dixit ad illum. Iurauit dominus et non penitebit eum: tu es sacerdos in eternum secundum ordinem melchisedech. Tanto melioris testamenti sponsor factus est iesus. Et alii quidem plures facti sunt sacerdotes. eo quod morte prohibentur permanere. hic autem eo quod maneat in eternum. sempiternum habet sacerdotium. Unde et saluare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad deum: semper viuens ad interpellandum pro nobis. Talis enim decebat ut nobis esset pontifex. sanctus. innocens. impollutus. segregatus a peccatoribus. et excelsior celis factus: qui non habet cotidie necessitatem quemadmodum sacerdotes. prius pro suis delictis hostias offerre. deinde pro populo. Hoc enim fecit semel se offerendo. Lex enim homines constituit sacerdotes infirmitatem habentes. Sermo autem iuramenti qui post legem est filium in eternum perfectum.

Capitulum autem super · VIII. ea que dicuntur. Talem habemus pontificem qui consedit in dextera sedis magestatis in celis. sanctorum minister et tabernaculi vere quod fixit deus et non homo. Omnis enim pontifex ad offerenda munera et hostias constituitur. Unde necesse est et hunc habere aliquid quod offerat. Si ergo esset super terram. nec esset sacerdos. cum sint qui offerant secundum legem munera: qui exemplari et umbre deserviunt celestium. sicut responsum est moysi cum consummaret tabernaculum. Vide inquit omnia facito secundum exemplar quod tibi ostensum est in monte. Nunc autem melius sortitus est ministerium. quanto et melioris testamenti mediator est. quod in melioribus repromissionibus sanctum est. Nam si illud prima culpa non fuisset: non utique secundi locus inquireretur. Vituperans enim eos dicit. Ecce dies venient dicit dominus. et consummabo super domum israel et super domum iuda testamentum nouum. non secundum testamentum quod dedi patribus eorum in die qua apprehendi manum eorum. ut educerem illos de terra egipti. Quia non permanserunt in testamento meo: et ego neglexi eos dicit dominus. Quia hoc est testamentum quod disponam domui israel post dies illos dicit dominus. dando leges meas in mente eorum et in cordibus eorum superscribam eas. Et ero eis in deum. et ipsi erunt mihi in populum. Et non docebit unusquisque proximum suum. et unusquisque fratrem suum dicens. cognosce dominum: quia omnes scient me a minore usque ad maiorem eorum. quia propitius ero iniquitatibus eorum. et peccatorum eorum iam non memorabor. Dicendo autem nouum: veterauit prius. Quod autem antiquatur et senescit prope interitus est

Habuit quidem · IX. iustificationes culture et sanc-